



Decisiones Sacramentales, Theologicæ, Canonicae, & Legales

In Quibus Tota materia Sacramentorum, Theologiæ Moralis, Juris Canonici, & Quæstiones plurimæ Juris Civilis explicantur, dilucidantur, & traduntur, Eruditionibus, Historiis, & Exemplis adornatæ ; Opus Episcopis, Vicariis, Parochis, Confessariis, aliisque Studiosis utile, ac jucundum In Libris novem ...

De Sacrosancto Missæ Sacrificio Decisiones

Chiericato, Giovanni Maria

Augustæ Vindelicorum, 1730

Decisio I. Argumentum. Agitur de Etymologia Sacrificii, & de multiplici ejusdem Denominatione. Voces Litare, Litaniae, ac Liturgiæ unde dicantur.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94659](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94659)

DE SACROSANCTO MISSÆ SACRIFICIO

DECISIO I.

ARGUMENTUM.

Agitur de Etymologia Sacrificii, & de multiplici ejusdem denominatione. Voces Litare, Litaniz, ac Liturgiæ unde dicantur.

SUMMARIUM.

1. Etymologia hujus Vocis Sacrificium?
2. Sacrificii multiplex denominatio.
3. Litare unde dicatur?
4. Litaniz quare sic vocentur?
5. Liturgia quid significet?
6. Oblatio differt à Sacrificio?
7. Sacrificium cur dicatur Mysterium, atque Sacramentum?



Cum est anno proxime præterito de Sacrosancto EUCHARISTIÆ Sacramento; In præfenti agendum est de eadem, quatenus est Sacrificium; ideoque primum Quæsitum propositum per me Parochis, Confessariis, & aliis studiosis hujus Pataviæ Dioceseos expetivit Etymologiam, variam Sacrificii denominationem. Pro responsione dictum fuit, quod Etymologia hujus vocis Sacrificium appellatur quasi *Sacrum factum*, Melchior Canus de locis Theol. lib. 12. cap. 13. Vers. illud deinde: ubi advertit, non omne opus Sacrum esse Sacrificium; quamvis è contra omne Sacrificium sit sacrum opus; nam omnia Sacramenta sunt opera sacra, & nihilominus non sunt Sacrificia. Porro Sacrificii multiplex est denominatio; solet enim dici *Mactatio*, *Immolatio*, *Libatio*, *Litatio*, *Oblatio*, *Mysterium*, atque *Sacramentum*. Sacrificium per *Mactationem* erat, quando Victimæ occidebatur. Per *Immolationem*, quando res inanims, & solida frangebatur, disgregabatur, aut comburebatur, ut panis, manipulus Spicarum, thus, & similia. Per *Libationem*, dum liquida effundebantur, ut aqua, vinum, oleum. Per *Litationem* quando omnia prædicta fiebant adjunctis precibus ad placandum Numen; dicitur enim *litare* quasi *lutare* à verbo *luo*, quod est *solvo*; nam qui solvit debitum, placat creditorem. Vossius in Etymol. Doct. Clericali Tom. I. Liber. III.

log. lingue latine Verb. *litare*. Vel quasi *Precatio* *deorum*, quod est supplicare; unde Litaniz dicuntur supplices. Non autem hinc deducitur *Liturgia*, quæ significat munus publicum; licet hoc nomine utantur Patres pro EUCHARISTIA, ac Sacrificio Missæ demonstrando, quia mysticè deducitur ex ea voce *Liturgia*, cum Sacrificium sit quid publicum, & institutum publica auctoritate, ut infra demonstrabitur. Vossius ibidem, & Magr. in Hierolex. Verb. *Liturgia*. Pari modo *Oblatio* tanquam nomen genericum denotat Sacrificium; quia omne Sacrificium est oblatio; sed non è contra; dantur enim plures oblationes Deo factæ, quæ non sunt sacrificia, ob non consecrationem, seu immutationem rerum oblatarum; de quibus non multò post loquemur. Tandem Sacrificium appellatur etiam *Mysterium*, atque *Sacramentum*; quia secretum continet, & significat aliquid sanctè accipiendum, cap. Multi secularium. 1. qu. 1. quod notat etiam Emin. Card. de Lauræa in Epitome Canon. in verbo *Sacrificium*.

DECISIO II.

ARGUMENTUM.

Differitur de duplici Sacrificii acceptione, & de decem generibus Sacrificiorum metaphorice nominatorum.

SUMMARIUM.

1. Sacrificium dupliciter sumitur; propriè, & translàtè.
2. Sacrificiorum metaphoricorum decem genera.

Plures autem in hoc Clero doctissimi scripserunt, quod Sacrificium dupliciter sumitur propriè, & translàtè. Primo modo, cum res oblata Deo immutatur; secundo modo, cum aliquid Deo gratum exercetur, quod per allegoriam, & translationem dicitur Sacrificium, Canus d. lib. 12. cap. 13. Vers. Illud deinde. Et Collegium Salmanricen. tom. 10. de Sacram. in genere tract. 5. cap. 1. num. 1. Et in hoc allegorico, & metaphorico sensu S. Jo. Chrysostoma Commentar. in 1. sal. 95. ponit decem sequentia genera Sacrificiorum, videlicet. 1. Imitationem Christi, juxta illud Pauli Apostoli: *Estote imitatores Dei filii charissimi, & ambulate in dilectione sicut & Christus dilexit nos, & tradidit se.*

A